B. C. D.

TRIFOLIUM FESTIVALE,

exhibens

Orationes Panegyricas Tribus Anni Feſtis palmariis ſacras,

Quarum

I. De RORE NATALITIO, ſeu comparatione JESULI cum Rore:

II. De miraculo Reſurrectionis Dominicæ CLAUSO SEPULCHRO factæ:

III. De OLEO PENTECOSTALI, ſeu comparatione SPIRITUS S. cum Oleo,

agit:

Dictas in Templo Academico Lipſienſi

à

M. ENOCHO Zobeln/
Schneebergenſi.

LIPSIÆ,

Typs & Sumptibus COLERIANIS,
ANNO M. DC. LXXIIX.

Curiæ Eccleſiæq; Schneebergen-
ſis Proceribus,
VIRIS
Auctoritatis Magnificentiâ, Nobilitatis Excellentiâ,
Theoſophiæ ſcientiâ, Jurium peritiâ, Medicinæ experientiâ,
Officiorum Reverentiâ ac Amplitudine inſi-
gniter ſpectatis,
DN. PAULO BLUMBERGIO,
J. U. Doctori famigeratiſſimo conſultiſſimoq;
CELSISSIMO PRINCIPI HOLSATO à Conſiliis,
Reipubl. Patriæ Conſuli Ampliſſimo, meritiſſimo:
DN. CHRISTIANO FRIDERICO
MELBERO, J. U. Doctori itidem famigerabi-
li, dictæq; Reipubl. Conſuli Spectatiſſimo, digniſſimo:
DN. JOHANNI CHRISTIANO
MACKIO, Phil. & Med. Doct. experientiſſi-
mo, SERENISS. ELECT. SAX. Medico Provincia-
li, Schneebergæ Phyſico ordinario, ibidemqve Præto-
ri ac Scholæ Inſpectori dexterrimo, prudentiſſimo:
DN. M. BENJAMIN HEYDENIO,
Eccleſiæ Nivemontanæ Paſtori vigilantiſſimo,
Scholæ Inſpectori graviſſimo, nec non Diæceſews Cy-
gnææ Adjuncto Primario;
Dominis Patronis ac Promotoribus
meis egregiè colendis, ſuſpiciendis,
Sacrum ſit Feſtivale hoc
TRIFOLIUM.

B. C. D.

RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICE,

Viri

Magnificâ Autoritate, ſummè Reverendâ Dignitate, Nobiliſſimâ Amplitudine, Excellentiſſimâ Spectabilitate, Pereximiâ Claritate undiquaque conſpicui,

Tuque ſuaviſſima nobiliſſimaq́; Commilitonum CORONA.

QUàm beatiores ſint noſtri oculi, quàm feliciores aures noſtræ, quàm fauſtiora ſint ora noſtra, præ multarum Prophetarum juxtim & Regum, vel hæc, quam per Numinis exuperantiſſimi bonitatem aſpicimus, lux, vel præſens, quâ læti vivimus, hora ſatis ſuperque comprobat, dum ſummô animi tripudiô Templum hoc noſtrum Academicum ingreſſis plenô ore fas eſt exclamare: Rorarunt cœli deſuper & nubes dederunt juſtum; cùm tot animæ pientiſſimæ ſub fœdere veteri anhelârint ſitientiſſimè, ut viderent, quod videmus, & audirent, quod audimus, Meſſiam videlicet præſentem, Salvatorem in

carne commu em; interrogandô tamen: (α) qvis dabit ex Sion ſalutem Iſraëlis? exoptandô: (β) Rorate cœli deſuper, & nubes pluite juſtum; contenti eſſe, animumqve tranquillare ſunt coacti. Loci non permittit ratio, & Oratoris, cujus provinciam ſuſtinere indign9 debeo, diſſvadet officium, multis jam disquirere, num Eccleſia Iſraëlitica poſteriori iſthóc ſuſpiriô liberatorem ſpiritualem, Meſſiam, num corporalem, Cyrum, deſiderârit. Exploratum enim oppidò eſt, quòd, licet largiamur ἀμφοῖν, typicè & ſecundariò de Cyro, qui in aliquibus figuram geſſit Chriſti, ob textus nexum, hæc dici, nihilo tamen ſecius antitypicè (ſic Theologi loquuntur (γ)) & primariò de Chriſto tunc futuro intellecta fuerint, qui vera ſalus, juſtitia vera. Nos in præſenti ſvaviſſimum JESULI noſtri Natalem devotè meditaturos ſolus loquendi modus intimiùs afficit, quòd ſacratiſſimum Prophetæ os adventum Mesſiæ ſaluriferum ſub ſchemate roris cœlo tenus labentis elocutum eſt prædixitque. Videtur autem Vates (ſi ſuſpicari equidem licet) unius oculi ad Heroa divinum, Gedeonem, ſtrinxiſſe aciem, utpote qui eôdem propemodum penicillô (δ) venturum Σωτῆρα adumbravit, vellus primùm, pòſt univerſam terram rore largô irrigaretur, à Deo expoſcens. Quamvis enim vetuſtiores Patrum, inque iis *Origenes* (ε) maximè, miraculum hoc ad cœleſtis verbi rorem applicârint, quòd primùm ſuper ſolum vellus, hoc eſt, populum Judæorum, ſiccô manente Gentilium orbe, poſtideà verò versâ planè vice ſuper totam tellurem, ſiccitatem retinente Synagogâ, ceciderit; interim tamen iſtâ roris immiſſione deſcen-

α) Pſ. XIV. ult. β) Eſ. XLV. 8. γ) D. Joh Förſter. comment. in h. l. δ) Jud. VI. 36. ε) Hom. VIII. In Judic. Tom. I. Op. f. 183. fac. 2.

deſcenſui meſſiano prælusum fuiſſe, Rex ex omni memoria ſapientiſſimus (ζ) ambigere nos haut ſinit, diſertè de cœleſti Rege vaticinans, quòd deſcenſurus ſit ſicut pluvia roralis ſuper vellus. Quibus meritò adjicimus pia pii *Bernardi* verba: (η) *Dominus cæleſti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit: Redemturus humanum genus, pretium univerſum contulit in Mariam.* O imaginem expreſſiſſimam, O ideam jucundiſſimam, quâ Tu, ſvaviſſime JEsu, adventûs tui & ὑπεροχῆς ſublimitatem, divinitatem ac utilitatem miſeris mortalibus quadantenus præmonſtrare voluiſti, dum S. Pagina ſtillicidii injicit mentionem roris, face, quæſumus obnixè, ut modeſtè illud ac ſobriè, Natali tuô hodiernô, apud animum noſtrum penſitemus. Vos autem Magnifice Academiæ Rector, cæteriqve, quos ſummè veneror ac deveneror, Auditores, rore favoris ac amoris veſtri me in Roſtris ſtantem irrigate, ut ex eo fœcunditatis aliquid accedat ſterilitati à me dicendorum.

Exordior denuò, Auditores æſtimatiſſimi, verbis, queis in mei ſermonis ingreſsione aurium noſtrarum deprædicavi felicitatem: Rorârunt cœli deſuper & nubes dederunt juſtum. Iis enim mihi ſuggeruntur omnia, quæ de Rore Natalitio, Jeſulo noſtro mellitisſimo, ad ſimilitudinem roris terreni, dicere allaboro. Primùm autem non multis diſputandum mihi reor, ex ſublimi rorem ad nos pervenire, niſi vel ſenſuum craſſisſimô redargui teſtimonió vellem. Licet enim animus non ſit, Poëtis & aliis manum porrigere, qvi aſtris rorantibus, ut apud eosdem audiunt, tribuunt efficien-

ζ] Pſ. LXXII. 6. η) Serm. in Nativ: Virg. Mar. Edit. Colon. colum. 272.

tiam roris, & imprimis Lunæ, quam ideò roſcidam,(ϑ) rorisq; matrem appellitant; tamen infieias ire nequimus, Lunam tepore molli vapores educendô, aëremqve, ut guttulæ faciliùs in unum confluant, laxandô, rorationem adjuvare, frigus autem nocturnum, tanquam palmariam cauſam, vaporem condenſare, aggravare, adeoqve ad decidendum reddere aptiorem. Hæc eqvidem, Auditores, mentis noſtræ acumen capiendo eſt: Aſt cauſas, gignendique modum roris ex ſinu Patris æterni hodie provenientis vix, ac ne vix qvidem, obſcurè adumbrant. Hîc enim cauſas verè ſublimes, qvid? ſublimisſimas, reperias licet, processumque omnes cogitationum ambitus tranſcendentem. Pater æternus eſt, Deus omnipotens eſt, qui Filium ex eſſentia ſua ante ſecula genitum in plenitudine temporis ex muliere natum, ſolius miſericordiæ pulſus vehementiâ, demiſit: unigenitus Dei Filius eſt, qvi uterum virgineum obumbrare, & carne veſtitus nos miſeros inſtar roris ſvavisſimi viſitare geſtiit; Spiritus deniqve ſacro-ſanctus eſt, qui ſuper Mariam veniens, ſemen virgineum inſtar vaporis cujusdam terreni ſurſum tulit & elevavit, id eſt, ab omni labe adamitica repurgavit, ut exinde ros purisſimus & omninò defæcatus, Salvator hominum, poſſet creari. Licet enim ſecunda S. Triados Perſona ſola, non tamen per ſe ſolam carnem aſſumſit humanam, cùm, ſicuti in aliis talismodi operibus extra Deitatis ſinum terminatis, nulla perſonarum venit excludenda; ita & hîc inſtar trium virginum, ſertum quoddam communi equidem operâ plectentium, unius tamen ſolius inter ſe capiti appli-

ϑ) Virg. III. Georg. v. 237. Lib. III. Æn. v. 567. & Poëta vetus Anonymus in Pervig. Veneris. verſ. 20.

applicantium, ſint operati. Pergite, quæſo, mecum, Auditores inſigniter honorandi, ad loci ſpatium, quod aqvei iſtius meteori generatio ſibi vendicat. Jucundè profectò non minùs qvàm curiosè obſervatum legimus & experimur, rores neqve in ipſius telluris ſuperficie (cum non raró colles montesqve excelſi iis humectari ſoleant, qvod de montibus Gilboë ac Sion ipſa Scriptura (ι) affirmat,) neqve penes ſupremas ſyderum ſphæras generari (cùm exploratus ibi ſit vaporum defectus, & ſæpiſſimè folia plantæqve humiles inebrientur rore, ſiccis fermè manentibus montium altitudinibus, (κ)) ſed ut plurimum aëris amare medium, qui quidem itidem mediocriter calidus frigidusque exiſtat neceſſe habet. Qvid de Rore noſtro Natalitio dicam, Auditores? Qvàm egregiè & hic mediô eſt delectatus? Cœli culmen ipſi conveniens non erat, ut naturæ ibi angelicæ (λ) participem ſe redderet, utpote quæ à Deo benigniſſimo in bono confirmata, extra lapſûs periculum conſtituta, adeoque Salvatoris cujusdam ne quicquam indiga eſt: Nec infimum Diabolorum orcum ingresſus eſt, aſſumtum prohibet fermè pietas vocem,) illic quicquam, cùm Spiritus neqvam ſpe liberatoris fruſtrati, æternis caliginum catenis teneantur: (μ) Et impia (qvis neget?) aſſertio eſt *Thomæ de Argentina* Ordinis S. Auguſtini, quód non ſit impoſſibile, nec contradictionem implicet, Deum aſſumere damnati hominis naturam, ipsâ manente damnatâ, ad unitatem ſuppoſiti divini; ut accuratè notavit *B. Dorſcheus* immortali nomine dignus Theologus: (ν) Mundum autem, inter duo iſta extrema medium, elegit,

ι) 2.Sam.I.21. Pſ. CXXXIII.4. κ) Libertus Fromond. Meteorolog. L. V. c. IV. art. 1. p. m. 365. λ) Ebr. II. 16. μ) Judæ. v. 6. ν) Theol. Zach. P. I. p. 185.

elegit, qui ſibi patria, hominem, qui ſibi frater eſſet. O amabilem electionem, omnibus mortalium perquàm ſalutarem! Conſidero ulterius mecum temporis circumſtantiam quàm elegans mihi materies ſubditur continuandi ſermonem? Neminem temerè fugit, interdiu rorem nunquam, ſemper noctu, & imprimis ſub auroram, decidere, quoniam tunc plurimum noctis abiit ſpatium, per quod vapor ſole, qui eum eduxit, deſtitutus, ſeſe refrigeravit & addenſavit. Ne à limine quidem Hiſtoriam ſacram (ξ ſalutasſe neceſſum eſt, qui non ſit ſciens, rorem cœleſtem, puerulum noſtrum, terris multâ jam nocte, quam mox excipit aurora, datum fuiſſe, cùm paſtores excubias apud gregem ſuum egiſſe in campo, oracula divina expresſis confirment Erant inſuper tunc penè omnia partim fœderis antiqui umbris involuta, partim cœcâ errorum gentilium nocte obruta, & plerique pravô ſecuritatis & impietatis ſomnô oppreſſi; (ο) igitur ros ille cœlitùs deſtillans nil niſi ſereniſſimam auroram, clariſſimum diem, lucidiſſimum lumen pollicebatur, quod omnes in hunc mundum venientes colluſtraturum, in vita, per vitam, ad vitam facem ſit præiturum. Hinc mera lux comitabatur divinos nuncios, mera lux replebat auram, mera lux circundabat paſtores. Minimè autem poſthæc in noſtra meditatione negligenda videtur ſingularis ac præcipua puritas, quâ roris liquor inſigniter ſeſe commendat. Non pudet hanc in rem vel ruricolarum advocare teſtimonium, qui frequentiùs læti intuentur pellucidas & cryſtallinæ claritati neutiquam cedentes guttulas, qvas cœlum foliis arborum plantarumque affixit. De Rore Natalitio, ſeu

Puero

ξ] Luc, II. 8. ο) Rom. XIII 11.

Puero nobis dato idem probare, nihil planè attinet, cùm ne Chriſtiani mereatur nomen, qui illum labe quàdam contaminatum potuiſſe eſſe, nedum fuiſſe, auſit affirmare. Sanctus enim ab utero, non ex libidine peccaminoſa viri, ſed ex ſemine ſanctificato, conceptus ac prognatus eſt, per totam in terris vitam à peccatoribus ſegregatus, ut ne ab infenſiſſimis ſuis hoſtib9, licet id ipsâ lubentiâ maluerint lubentiùs, peccati ullius argui potuerit. (ϖ) Inde enim diſcrimen veteris & novi ſacerdotii conficitur, quòd nobis ſit Pontifex pius, innocens, impollutus, cui non ſit quotidie neceſſum, quemadmodum illis Pontificibus, priùs pro propriis peccatis victimas offerre, quàm pro populi, uti D. Paulus (ϛ) egregiè hoc deducit. Quid? quòd ipſum Deum peccato obnoxium faceremus, ſi Chriſtus noſter non eſſet impeccabilis, ſiquidem humana natura cùm divina in una hypoſtaſi unam conſtituit perſonam. Meritiſſimò igitur Phœnix Theologorum ſeculi noſtri *Hülſemannus*, (σ) Calviniſtarum in Belgio aſſertum, impium vocat, profitentium, quòd Chriſtus ſit corruptæ maſſæ adamiticæ particula, quam Deus Pater ex mera benevolentia prædeſtinaverit ad gratiam & gloriam, adeoque hanc particulam à reliqua perdita diſcreverit maſſa. Quàm egregia autem roris puritas; tam admiranda præterea eſt ejusdem ſubtilitas. Ros, ſi Grammaticos (τ) audire juvat, à raritate nomen indeptus eſt, quòd non tantæ, quantæ pluvia, ſit craſſitiei & ſpiſſitatis, nec agmine factò, ſed ſubtiliſſimè decidat, in tantum, ut ſæpiuſculè viatorem humectet imprudentem. Hinc eſt, quòd non roret, niſi *αἰθρίας*

ϖ) Ebr. VII. 26 Joh. VIII 46. ϛ) Ebr. l. c. σ) Brev. c. VII. ſuppl. §. IV
τ) Fungeri Etym. Lat. p. 913.

τε καὶ νηνεμίας, tempore ſerenitatis & tranquillitatis, cùm evanuêre nubes, conſedêre tempeſtatum furores, uti Philoſophorum teſtatur primipilus (υ). Sed de rore, qui hâc luce terrarum orbi commodatus eſt, quid eloquar, Auditores? Tanta magna enim hic invenitur ſubtilitas, ut iſtam, ſi huic conferas, craſſiſſimam ſpiſſitudinem, & ſpiſſiſſimam craſſitudinem dicendô erraveris nullus. Hîc enim omnia non ſenſûs tantùm effugiunt captum, ſed ſuper omnem λόγον, καὶ νοῦν, καὶ κατάληψιν ſunt conſtituta. Nullus enim eò usqve pollet ingeniô, ut delineare potis ſit modum ac rationem quâ ipſiſſimus Dei Filius uterum ſine locali incluſione ingredi ac humanæ naturæ, in ſuam ὑπόστασιν aſſumtæ, potuerit uniri. Merè ac verè παράδοξα audit ratio noſtra: Deus eſt homo; homo eſt Deus. Mirationi oppidò cedebat Salomoni, qvòd Domino apud homines habitare gratiosè placeret (φ): Qvis non adductus quaſi in ſe miraretur, Dominum ſervo uniri, Deum cum homine in unam, ſine omni tamen naturarum confuſione, coaleſcere perſonam! O ſingulariter mirabile, & mirabiliter ſingulare! (χ) Eſſet adhuc magna dicendorum mihi copia, nî temporis tempeſtatisque ratio compendii orationem facere juberet. Non poſſum tamen non de præclaris, iis tamen præcipuis ſaltem, rorum effectis paucula priùs diſſerere, quàm ornatiſſimum hunc exedræ ſuggeſtum relinquo. Solent rores mirificè plantas refrigerare, æſtumque aëris circumſtantis efficaciter temperare. Hinc Ariſtoteles noſter (ψ) cauſas, ob qvas tempore matutinô frigus ſit acrius, cùm tamen ſol propiùs adſit, allerturus, hanc quo-

υ) Lib.I. Meteorol cap.X. φ) 1.Reg. VIII. 27. χ) Auguſt. de correpr. & gratiâ c.XI, Tom.VII.Op. colum.1341. ψ) Probl.Sect.VIII.probl.13. p. m.880.

quoque ſuperaddit, quod die mox inſtante ros ac pruina, quæ frigida ſunt, cadere conſueſcant. En, facilis ad Jeſulum noſtrum applicatio! Gerebat juſtiſſimum Numen iras pro violatis legum ſuarum præceptis flagrantiſſimas & in dira fulmina mox erupturas, miſeri homines ardentiſſimas ejusdem flammas intra ſeſe percipiebant, inque omnes æternitates, quà interiùs, quà exteriùs, erant percepturi, refrigerium reſtabat nullum, nullum apparebat levamen. Rorante autem cœlô & nubibus juſtum pluentibus, furor Domini ad infernum usque æſtuans, fuit reſtinctus, dum Soter noſtrûm mellitiſſimus omnes ejusdem gradus & apices in ſe, inſontem licet, derivavit, juſtitiæ divinæ ſatisfecit ex aſſe, odiumque, quô Pater cœleſtis mortales ob peccata proſequebatur, largâ ſanguinis ſui effuſione, explevit. Atque hinc ſalutares illæ καταστροφαί: ira in gratiam, inimicus in amicum, furor in lenitatem, vindicans in abſolventem, timor in confidentiam, angor in exultationem, mœror in gaudium, ſunt permutata. O dulce refrigerium, & præſentiſſimum iræ temperamentum! Neque ſolummodo ros refrigerat humum, ſed & egregiè fœcundat, inſtillandô eidem liquores ſuos limpidiſſimos, ut inde arborum ac plantarum radicibus ſuccos, qui fructum promovent tantùm non & protrudunt, ſuggerere poſſit. Codex (ω) quoq; ſacer terrarum fœcunditatem deſcripturus rorem Cœli, tanquam cauſam, primô commemorat locô. Conchas maritimas oſcitatione rorem ſorbere, hôcq; modô concipi ac gigni margaritas, alii cum ſolertiſſimo naturalium indagatore, Plinio (a) contendunt. Gemellum in modum Rore natalitiô totus, quaquà patet, ter-

ω] 1. Reg. XVII. 1. Gen. XXVII. 39. 2. Sam. I, 21. a) Lib. IX. Hiſt. Nat. c. 35.

rarum orbis inexhauſtâ fœcunditate fuit donatus. Antea nil niſi peſtilentiſſimas errorum ſpinas alebat, perditiſſimos ignorantiæ fructus proferebat, hominumq; protervè ac impiè victitantium erat feraciſſima. Poſtea verò, illapſô rore ſalutiferô, Zizania iſta exareſcere, ſalvifica doctrina floreſcere, vitæque ſanctimonia inter homines magis magisque propagari indies occepit. Semen quippe verbi divini, licet non in paucis cordium humanorum agris ſuffocetur & ſupprimatur, in quibusdam nihilominus centuplô fructu gaudet, & in ampliſſimas exuberat virtutum meſſes, quales ſunt, fidei conſtantia, ſpes immota, pietas ſincera, proximi dilectio infucata.

Videte, Auditores colendisſimi, quàm eleganter ac perſpicuè ſummum iſtud incarnationis myſterium unicâ Roris voce intellectui noſtro objiciatur, ut lingua de eodem, ſi non loqui, lallare certè nonnulla posſit. Nec diximus adhuc omnia, quæ potuiſſemus, Auditores. Elegantisſimam enim hanc allegoriam pertexendi anſam ulteriùs nobis ſuggesſiſſet, mira ſanandi vis (*b*), grata purgandi efficacia, proficua pinguedinis, corpori humano moleſtiam parientis, conſumtio, (*c*) aliæque virtutes memorandæ, queis roris liquor egregiè gaudet. At verò cùm aurium veſtrarum, Auditores, benevolentiâ nolim abuti, dictaq; hactenus id jamjam obtinuiſſe videantur, in cujus gratiam ſunt facta, nimirum, ut inenarrabile incarnationis myſterium modò posſibili oculis noſtris objiciatur, filum hîc Orationis abrumpam, dubitans nullus, fore, ut immenſa hujus beneficii, hac imprimis ſolenni tempore,

b) Funger. l. c. p. 953. *c*) Fromond, l, c. p. 369. Jac. Dalechampius Annot. ad Plinii Hiſt. Nat. Lib. II. c. 60.

pore, memores non tantùm ſimus ſinguli & omnes, ſed & pro virili parte iſtud non in ingratisſimos cecídisſe, Deo Optimo Maximo fide, vitâ, voce comprobemus. Fides igitur noſtra ſit ſolida, ſit certa, ſit non dubia, cœlos roraſſe, ut nos miſeri efficaciter recrearemur; nubesqve dediſſe juſtum, ut nos injuſti, juſti coram Deo reputaremur. Vita noſtra, quantum in nobis, ſit ſine labe, actiones ſint ſine peccatorum ſtercore, cogitata ſine pravitatum corruptelis. Hæc autem promtiùs præſtabit nemo, quàm qui rorem cœleſtem, Jeſulum, pectori ſuo piè inſinuat, ac cor in JEſum ſuum penitùs immergit. Hôc enim rore omnes peccaminoſæ cruditates, omnis delictorum crasſities depaſcitur ac aboletur; ſic, quaſi ros aqueus externam conſumit hominis corpulentiam, ſi eô vel potatur vel lavatur (d) Vox tandem publica, grati teſtis animi, enarret mirabilia Dei noſtri, quæ ſolus facit in terris, laudes ejus reſonet plenis faucibus, ac nomen deſinat celebrare nunqvam. Qua fini & nos poëticam hanc Orationi noſtræ coronidem imponamus:

Ὦ Θεὸς ὢν ἅμα Τριαδὸς ὑποστάσεσι προσώπων
Καὶ Φύσιν εἷς, ἔχομεν σύμπαντες πόλλον ἀρίστην
Σοὶ χάριν εὐνοίας θείας· διότ' ἄξιοι ἔσμεν
Τοῦ εἴσεσθαι πανατρεκέως ῥοδοτώντυλον ἠῶ,
Εἰς ἣν, ὡς ἔρσαν φροτὶ θρέμμαιν, ἔρρυκε Σωτὴρ
Οὐρανόθεν. Δέομεν, ποίει, ὡς ἀγροὺς ἀκάρπων
Ἡμείων κραδιῶν τῇ δρόσῳ θεὶς, ἀγαθοῖσιν
Πολλοῖς εὐθηνεῖτ' εἰς λοιπόν τ', ὀβριμοθύμῳ
Πίστει, ἐλπωρῇ βεβαίῳ, ἀγάπῃ πολυαίνῳ.

Dixi!

(d) Fromond. & Plin. ll. cc.

B. C. D.

Tit. Tit.

DUm Orationem ſacram è cathedra pro diei hujus ſolennitate dicere, inque ejus limine, famoſum illum monſtrorum domitorem, Herculem, commemorare meditor, præmonendum eſſe cenſeo, me non eſſe ἀλληγορϐντων animô, qui nullas non Poëtarum gentilium fabulas ita interpretantur, (α) ut myſteriis fidei non tantùm explicandis, ſed & confirmandis applicare eas non erubeſcant, quod certè aliud eſt nihil, quàm ſanctos Dei homines, Prophetas, per fabularum architectos, Poëtas, divinam veritatem, per hominum mendacia, dare explicatam. Hoc, inquam, abſit, & abſit à nobis longiſſimè! Interim tamen offendimus, Theologos ὀρθοδοξωτάτϐς has tales in ſcriptis adhibere, ſed id ipſum ſobriè, parcè admodum, cum grano ſalis, atque, ex monito *Megalandri*, (β) cum judicio, quod certè ſine omni ἀθεολογίας ac paganitatis crimine fieri poteſtur. Quâ ratione nixis libuit & nobis ſanctum Reſurrectionis Dominicæ feſtum celebraturis, fabulam Lycophronis, Poëtæ Tragici, referre, (γ) quâ de Hercule finxit, eum

α] *Dorſcb.* Anti-Corn. p. 281. *Glaſſ.* Philol. S. L. II. P. I. Tr. 2. ſect. 3. art. 8. p. 312.
β) Comment. in Gen. XXX. f. m. 117. fac. 2. γ) *Glaſſ.* l. c. p. 313.

eum in navigatione, ob vellus aureum ſuſcepta, per naufragium in mare projectum & à piſce devoratum quidem, ſed tertiá mox die vivum ad littus fuiſſe eructatum. Quod certè factum ſi in firmiore ſermone prophetico, (δ) cui tanquam lucernæ in loco caliginoſo lucenti attendere tutò poſſumus, de ſancto quodam homine pronunciaretur, exactisſimi typi, Chriſtum præfigurantis, nomine quis non dignaretur? Hoc autem cùm non ſit, ſimilitudinis ſaltem ſuſtineat vicem, cujus non requiritur usque veritas explorata. Si igitur minimis maxima conjungere licet, ex vero affirmare poterimus, nos verum habere θεάνθρωπον, Chriſtum, qui non Jovis cujusdam, fictitii Dei, filius eſt, uti Hercules, ſed Dei omnipotentisſimi, ſolius æterni, qui eum ab æterno genuit ſibi conſubſtantialem, ac in tempore, ſine virili concubitu ex virgine hominem fieri clementer voluit. Hic geminæ Heros ſubſtantiæ vellus quoddam aureum, genus humanum, ad ſui primùm imaginem in aurea, h e. pretioſisſima abſolutisſimaque perfectione formatum, recuperare allaborabat, dum (ε) Draco infernalis, ſerpens antiquus, cuſtos inſomnis, illud posſidebat, qvod certè ſine præſentisſimo periculo, infinitis laboribus, moleſtisſimoq; itinere fieri nequibat. Suſcipiendi igitur erant labores, aggrediendum iter ad acerbisſimum Judæorum (ζ) Golgotha, exantlandi ſanguinei ſudores, certamen ineundum cum hoſtium crudelisſimis, morte mortisque poteſtatem (η) habente diabolo Sed en! naufraugium vitæ patitur in itinere, robur Herculeum, vel ut veriùs dicam, divinum occubuiſſe, Draconem viciſſe

δ) 2. Pet. I, 19. ε) *Natal. Com.* L. VI. c. 8. p. m. 178. b. ζ) Matth. XXVII, 33. η) Ebr. II, 14.

viciſſe, velluſque aureum retinuiſſe, videbatur, dum ſepulchri fauces Heroa vivis exemtum degiutiverant. At vèrò tertiâ mox die prædam hanc opimam cum dedecore ſummo viciſſim reddere, ac ἐπινίκιον illud (ϑ) audire cogebatur diabolus cum ſua morte: Mors abſorpta eſt in victoriam: ubi tuus, mors, aculeus? ubi tua, inferne, victoria? Vellus aureum eſt ereptum, jus in illud ampliùs tibi nullum. Contigit enim, docente (ι) *Cyprianô*, Satanæ quod piſci ſolet, qui, ſi hamum eſcâ conſeptum rapit, non ſolùm eſcam cum hamo non removet, ſed & ipſe de profundo eſca futurus educitur: ſic is, qui mortis habet imperium, rapuit quidem in mortem corpus Jeſu, non ſentiens in eo hamum divinitatis incluſum, ſed ubi devoravit, hæſit ipſe continuò, & diſruptis inferni clauſtris, velut de profundo tractus traditur, ut eſca cæteris fiat. Atque hoc eſt αἰεκφώνιτον illud miraculum, diviniſſimum illud Salvatoris noſtri opus, quod in præſentia omnis Chriſticolarum orbis devotiſſimâ ſolennitate celebrat, lætiſſimò tripudiô ornat, gratiſſimâ mente deprædicat, canendô:

Salve feſta dies totô venerabilis ævô,
Quâ Deus infernum vicit.

Ne autem Muſæ Noſtræ tacere penitùs videantur, convocatos Magnif. Academiæ RECTOR, nos in noſtro hoc Templo, paſchale gaudium, non papiſticos riſus, voluit conteſtari. Cùm autem mihi provincia diſſertandi ſit injuncta, unum ex multis in reſurgente Chriſto admirandis, quantum id quidem in me poſitum eſt, explicabo, videlicet, Eum ſepulchrô adhuc

clausô

ϑ) 1. Cor. XV. 54. ſq. ι) Expoſ. in Symb. Apoſt. Edit. Jac. Pamelii f. 570. n. 18.

clausô reſurrexiſſe, ſaxôque conſiſtente fixô in terras prodiiſſe. O ſi jam in roſtris ſtaret Orator diſertus, qui gravi, robuſtâ & nervis plenâ oratione thema propoſitum conveſtiret, Veſtrasque, Auditores, aures tubæ Martiæ inſtar clangore ſuo circumſonaret. Sed licet tale quid promittere non habeam, ſpero tamen totus, me vel balbutientem, à VOBIS, Viri Summi, pro ea quâ eſtis humanitate, iri benevolè auditum. Licet ex facili largiamur, Auditores æſtimatiſſimi, datam à nobis aſſertionem non eſſe in iis, quas articulos fidei fundamentales vocant, qui negati ſalutis noſtræ evertunt ἀκρόπολιν; nihilo tamen minùs talis non eſt, ut ejus penitior conſideratio inutilis omninò ſit, cùm potiùs ad perfectiorem doctrinæ Chriſtianæ cognitionem, ad quam omnibus eſt contendendum, pertineat, reſurgentisque Domini majeſtatem reddat illuſtriorem. Agite itaque, inſpiciamus ſanctos oraculorum cœleſtium libros, viſuri, quid teſtimonii de Reſurrectione Chriſti clauſô monumentô factâ, inibi contineatur. Dubitare autem nos neutiquam ſinit nobile Evangeliſtarum par Matthæus &, qui preſſiſſimè hunc in texenda hiſtoria ſequitur, Marcus. Utrumque enim conferentes, clariſſimè hanc narrationis deprehendimus ſeriem: primò memoratur emtio & præparatio unguentorum; pòſt mulierum ad monumentum iter, ſollicitudoque de volvendo lapide: cum hoc itinere, tanquam res ſummè notabilis, per vocem, ecce, conjungitur terræ motus, Angeli deſcenſus, lapidis revolutio angelica, cuſtodum horribili Angelorum aſpectu territorum fuga, demumque adventus mulierum ad conditorium (quem Matthæus per πρoκατάληψιν primô locô ponit) ubi Angeli alloquiô eriguntur, & informantur, quòd Chriſt9 jamjam reſurrexerit, jubenturq; penitiùs

oculorum aciem ad locum corpore Chriſti antea repletum, tunc verò vacuum, reſtringere, ut reſurrectionis teſtes αὐτόπται apud Domini diſcipulos eſſe poſſent. Ex quib9, cœcus ſit, qui non videat, primò, ſaxi ablationem non ob reſurrectionem, ſed reſurrectionis manifeſtationem, eſſe factam, ut mulierculis de rei veritate faciliùs conſtaret, cùm dubitatione adhuc eſſent plenæ, adeoque non facilè crediture, Chriſtum reſurrexiſſe, licet Angelus id dixiſſet, lapis autem tumulum adhuc operuiſſet, ut viſûs exploratione uti non potuerint: quam ſublationis cauſam ipſemet Joh. Crocius (κ), ſeculique noſtri Varro Gerhardus Joh. Voſſius (λ) diſſimulare nequeunt, licet, ſcripturâ tamen deſtituti, alteram à nobis rejectam, admiſceant. Deinde inſimul ne ſubobſcurum quidem poteſt eſſe, terræ motũ, qui certiſſimè & non dubitanter lapidis revolutionem antevertit, fuiſſe τεκμήριον, concomitans glorioſiſſimum reſurrectionis momentum, quô Effractor ille ac perruptor, ut Prophetæ (μ) audit, more modôque ἀφάτῳ clauſtrum penetravit, permeavit, vivumque ſemet ſtitit. Erat hic motus non communis ex more naturæ ſolito, ſed egregiè magnus, qui cuncta concutiebat, & everſionẽ terræ tantùm non minabatur; qualis erat, (ν) qui fundamenta carceris, quô detinebatur Paulus & Silas, commovebat. Sicuti enim Dominô ſpiritum emittente lachrymabile funus vehementi orbis terrarum (ξ) concuſſione ac tremore, tanquam horrendâ quâdam campanâ indicebatur quaſi & indicabatur: ita & mirandum ex mortis faucibus reditum ſonorus hujusmo-

κ) Converſ. Prut. P. I. probl. IX. ſect. II. p. 489. λ) Harmon. Evang. de Paſſione, morte & reſurrectione Chriſti L. III. c. II. §. 5. f. m. 368. μ) Mich. II. 13. ν) Act. XVI. 26. ξ) Matth. XXVII. 51.

jusmodi nuncius toti mundo ſignificabat: Hinc *Hilarius* (ο) terræ hunc motum reſurrectionis virtutem eleganter vocavit. Quâ igitur fronte audetis, *Bullingere* (π) & *Croci*, (ϱ) negare, quicquam in Scripturis reperiri, quod Chriſtum clauſô tumulô prodiiſſe perſuadeat? Nonne audiſtis, quàm eleganti id aſſertum ea t harmoniâ? Hæ nobis oppidò ſufficiunt, ut cum Papicolis ad alias revelationes ridiculas confugere non ſit opus, dum in Hiſtoria Scholaſtica, referente *Jacobo de Voragine*, (σ) fingunt, factum eſſe anno 1120 ut Monacho cuidam S. Laurentii extra muros miranti de cingulo ſuo, de quo cinctus erat (recito elegantia ſcil. eorum verba) in ſolutô & projectô ante eum vox in aëre facta ſit:

Sic potuit Chriſtus clauſis (τ) prodire ſepulchrô.

Sed fides ſit penes Auctorem. Scripturæ potiùs pro noſtra ſententia pugnantis veritatem agnoſcens Reformatorum avus, *Joh. Calvinus* (υ), concedit, Chriſtum reſurrexiſſe ante deſcenſum Angeli, negat tamen, opertum manſiſſe ſepulchrum (φ), ſed Chriſtum reſurrecturum lapidem ſuſtuliſſe, qui in locum ſuum mox rediiſſet, ut Angelus eum denuò auferre potuerit. Verum enim verò non credimus Calvino *ἄπερ γραφῆς* loquenti: ſacra Pagina non niſi unius remotionis ſaxi, ab Angelo factæ, injicit mentionem, non niſi temerariô itaque auſu duplex fingitur. Quid? quod Hiſtoriam S. conſiderantes, falſitatem hujus commenti

 clariùs

ο) ap. Thomam in Catena Patr. ad Matth. XXIIX. π) Bulling. comm. in Matth. XXIIX. f. 264. b. ϱ) l. c. p. 488. σ) in Serm. Aur. Sermone. I. in die S. Paſch. p. 129. τ) Clauſô procul dubitatione eſt legendum: uti & hunc locum hôc pacto correctum legi ap. Jac. Herrenſchmidt, Poſtill. Neo-Symbol. P. I. in Feſt. Paſch p. 446. υ) Calv. Harmon. Evang. p. 728. ſq. φ) Inſtit. Lib. IV. cap. XVII. §. 29. in fin.

clariùs deprehendamus. Nam appoſiti cuſtodes ſomno non indulſerunt, ut vulgò pinguntur, ſed omnia ſenſu perceperunt, ſplendorem Angeli pavidis oculis aſpexerunt, eôque conſpectô fugâ demum ſibi conſuluerunt. Si autem ante apparitionem Angelicam ſaxum fuiſſet loco motum exitumque Chriſto patefeciſſet, procul dubio illud ſenſiſſent, & annunciaturi tunc aufugiſſent, niſi excubitores omni ſenſu, per miraculum Scripturis ignotum, tunc privatos, aut Chriſtum iis gloriam ſuam abſcondidiſſe, itidem ſine Scriptura fingere velis. Nec elumbe eſt argumentum, quod D. *Paulus* (χ) nobis ſuggerit, rotundè affirmans, Chriſtum potenter declaratum fuiſſe filium Dei per hoc, quòd reſurrexit à mortuis. Jam ſi dicamus, eum opera Angeli auxiliatrice indiguiſſe aut uſum eſſe, qui ſepulchrum aperuerit, quâ, quæſo, ratione reſurrectio ejus invictè probabit, quod filius Dei ſit? Injurii igitur in Chriſti majeſtatem ſunt *Sadeel* ejusque Defenſor, *Martinius* (ψ), pugnantes contra nos ſimilitudine ex (ω) Actis Apoſtolicis depromtâ, ubi Angelus januas carceris reſerabat captivosque diſcipulos educebat. Hi enim erant ψιλαίθρωποι, non θεαίθρωποι, qualis Chriſtus eſt, non indigus alienô miniſterio ad declarandam ſuam potentiam, cùm imprimis miſerô exinanitionis ſtatu fuerit tunc exutus. Et frivola eſt *Piſcatoris* collectio: (a) Angeli Chriſto in ſtatu humiliationis miniſtrarunt: Ergo quoque poſt exaltationem. Ibi enim humana natura majeſtate divinâ divinisque ἰδιώμασι non ſubinde utebatur, adeoque alienum auxilium admittebat; hîc verò omniumq; maximè iis in operib⁹,

queis

χ) Rom. I.4. ψ) ap. Menz. Anti-Mart. Tom. II. Op. f. 333. b. ω) Act. V. 19. a) Piſc. comm. in h. l. Matth. p. 832.

queis divinitatem ſuamque omnipotentiam palam facere voluit, non niſi illud ſervitium habet locum, quod non elevat plenariam majeſtatis uſurpationem, ſicuti etiam ſervi adhuc indutus formâ in patrandis miraculis hominum miniſteriô uſus eſt non niſi in tantum, in quantum miraculi veritas non ſuſpecta, ſuaq; poteſtas linqueb atur non limitata;ut adeo fruſtra ſit Crocius (*b*), urgens hîc operam diſcipulorum in Cana Galilææ, & Angelorũ in die pantocritico. Sed habemus adhuc alia ſententiæ noſtræ fulcra. Quid enim dicam de Chriſti reſurgentis corpore? Erat illud quidem verum & numero idem, quod in cruce pependerat, ſed glorificatum, ſpirituale, potens (cum Apoſtolo (*c*) loquor) ac infirmitatibꝰ hujus vitæ non ampliùs obnoxium, qualibus & nos in cœlis ſumus gaviſuri. Dicas itaque *Piſcator*, (*d*) ſi cor habes, num taliter qualificato (ſit fas ita loqui) corpori obſtaculum quoddam, ex tua mente, objici poterit, quò minus horſum iſthorſumve pro lubitu ſemet poſſit agitare? Abſit ut tantum infirmitatis demus Chriſto, inquit ſocienus tuus, *Muſculus* (*e*). Aut times fortè cum *Crocio* tuo, (*f*) ne penetratio dimenſionum abſurdè concedatur? At abjice, quæſo, metum, tuumque cerebellum Calvinianum pauliſper coarcta. Non enim à qualitate corporis naturalis, non-glorificati, ſed terreni & merè humani, ad qualitatem ſupernaturalis, ſpiritualis, cœleſtis &, quod maximum eſt, in divinæ naturæ ipſiſſimam hypoſtaſin aſſumti, colligere par eſt. Phyſica ſcientia hîc conticeſcat muta, cum res hæ extra ejus ſphæram ſint poſitæ, nec (dicente *Juſtino* (*g*) in hac ipſa quæſtione) fieri poſſit, ut eorum, quæ ſupra naturam

 divinâ

b) l.c.p.491 *c*) Phil.III, 21. 1 Cor.XV 43. 44. *d*) l.c. *e*) Muſc, loco inf cit. *f*) l. c problem, toto. *g*) l.c.inferiùs.

divinâ fiunt potentiâ, ratione naturali aſtruatur aſſertio. Imò ſi Phyſicam hîc tutò conſulere licet, & non niſi quæ eidem conveniunt credere, ipſam quoque reſurrectionem ibimus tandem inficias, cum Philoſophis Atticis (*h*) eam ridentes. Quis Tibi perſuaſit, nobis autem perſuadebit unquam, corporis glorificati dimenſiones ejusdem eſſe conditionis cum dimenſionibus corporis naturalem vitam viventis? Fac, modum penetrationis in hac imperfectione neſciamus, ſufficit ſcire motum ſeu rem ipſam. Ex quibus inſimul apparet, quàm inique nos incuſet *Bullingerus* (*i*) temerariæ fictionis miraculorum. Miraculum heic eſſe, ultro damus; à nobis fictum, negamus & pernegamus. Scriptura enim id nobis revelavit, & κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίστεως defenſare jubet. Criminis hujus magis reus erit ejus Magiſter, *Calvinus*, (*k*) qui modum tranſitûs indagaturus aſſerit, lapidis duritiem ad occurſum Domini ſeſe flexiſſe. En! egregium impietatis Calvinianæ ſpecimen, quâ nunquàm ſimplici fide doctrinis ſacris, inque Scriptura patefactis aſſentiuntur, ſed modum inquirere laborant, eumque ex ſuo comminiſci malunt ingenio, quàm rationem pro norma non agnoſcere, & ſub obedientiam fidei captivare. Eandem profectò ob cauſam in timore eſt *Bullingerus*, ne veritas redivivi corporis Domini per noſtram ſententiam (quam commentum impiè vocat) vertatur in dubium. Aſt metus, ut dixi, per phantaſiam Rationiſtæ & Quomodiſtæ (ſit venia verbis) incuſſus eſt, qui, quoniam intellectûs ſui acumine capiendo non eſt modum rei, negat eum, veritus, ne per ignorantiam modi de ipſa re, quam tamen S. Literæ expreſſè atteſtantur, dubius evadat.

h) Act. XVII. 32. *i*) loc. cit. *k*) Inſtit. l. c.

dat. O perverſam homuncionum pervicaciam, quâ tandem omnium myſteriorum ſalvificorum veritatem dubitationis periculo ſunt expoſituri, quia τὸ πῶς καὶ διότι cum ignaris ſciunt! Sed properandum magís quàm progrediendum eſt ad alia, quæ robur quoddam noſtro ſuggerunt aſſerto. Videtur autem illud quodammodo facere cumulꝰ miraculorum, quæ divinam hanc Filii Dei ἀνάστασιν circumſtant. Reſuſcitatio αὐτοκρατορικὴ, quam reſurrectionem internam vocant, ſummè mirabilis erat, ut teſtis (*l*) Chriſto potuerit eſſe, quòd verus Deus ſit: ingens terræ motus omnes admiratione ſuâ implebat: Angeli ſplendida præſentia miraculo non deſtituebatur: mox ſubſecuta Domini apparitio Mariæ facta (*m*) prodigio erat ſimilis: quid igitur vetat credere, reſurrectionem externam ſive egreſſum ex requietorio multum habere miraculi, factamque ſine aperitione? Nondum etiam commemoravi, quantum veritatis conciliet aſſertioni de penetratione ſepulchreti, quando S. Codex literarum monumentis conſignatum prodit, Chriſtum gemellum in modum per obſeratas januas ad diſcipulos intraſſe (*n*), & (quod memoratu heic apprimè dignum) in Aſcenſione glorioſa cœlos penetraſſe, (*o*) quod neque de Enocho, neque de Elia, nec alio ullibi dictum reperitur; uti acutiſſimus Theologus, B. D. *Menzerus* (*p*) egregiè obſervatum reliquit. Imò ſi communem Patrum ac Theologorum (*q*) ſententiam de Chriſti nativitate clausô uterô facta, ſequimur, quid nì dicamus, eum, qui mortalis

l) Rom. I. 4. *m*) Joh. XX. 14. *n*) Joh. XX. 19. *o*] Ebr. IV. 14. *p*) l. c. p. 334. b. *q*) vid. Meiſn. Phil. Sob. P. I. Sect. III. cap. II. q. o. p. 751. & Chriſtolog. S. Diſp. 41. th. XI. p. m. 362. Brochm. Syſt. P. I. Loc. XVI. c. I. ſect. 2. q. 5. f. m. 333. alii.

talis clauſô uterô in auras vitales partu edi potuit, multò magis immortalem factum clauſtra ſepulchri tranſire potuiſſe. Solent Religionis noſtræ Antiſtites (r) iis quoque ex rebus, quas natura fert, ſimulachra quædam diviniſſimæ, quâ corpus glorificatum pollet, ſubtiliatis afferre. Perinde ut radiis ſolaribus nihil in univerſum obſtare poteſt, quò minus vitra & feneſtras ſibi objectas penetrent: veluti igni in ferrum ſe inſinuat penitiſſimè, ut totam ejus maſſam impleat & penetret: gemellum in modum corpori lucidiſſimo, clariſſimo ſubtiliſſimo, quali Chriſtus nunc omnesq; electi in cœlis gaudent, haut abſurdè idem tribuitur.

Vis demus Patrum nobis adſtipulantium teſtimonia? In promtu ſunt. *Angelum non putemus*, inquit (s) *Hieronymus, idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulchrum Domino reſurgenti & revolveret lapidem, ſed poſtquam Dominus reſurrexit horâ, quâ ipſe voluit & quæ nulli mortalium cognita eſt, indicaſſe quod factũ eſt & ſepulchrum vacuum revolutione lapidis & ſui oſtendiſſe præſentiâ. Lapis advolutus* (ſunt verba *Severiani* (t)) *probavit mortem, & revolutus, extitit reſurrectionis aſſertor.* Quibus meritô ſuô adhuc jungimus clarisſimum *Juſtini* (u) dictum: *Quemadmodum*, inquientis, *non mutatione corporis in Spiritum Dominus ſuper mari deambulavit, verùm divinâ potentiâ ſuâ mare, quod pedibus calcare nequeat, ad inambulandum commodum ac pervium reddidit: ita & ſuapte potentiâ è monumento, cui lapis impoſitus fuit, egreſſus eſt, & ad diſcipulos ingreſſus januâ clauſâ: non enim excitationis ejus gratiâ ſaxi ipſius de monumento facta eſt devolutio, ſed eorum cauſa, qui id conſpecturi erant, ut ipſis reſurrectio oſtenderetur.* Plura ex Chryſoſtomo, Nazianzeno, Auguſtino, Euthymio, Beda, aliis collegit

Magnus

r) Meiſn. Phil. Sob. l. c. p. 755 Brochm. l. c. s) *Hier.* ap. *Menz.* l. c. t) Ap. Thomam loc. cit. u) Quæſt. 117. ad Orthod. p. 363. ap. Gerh. l. mox cit.

Magnus *Gerhardus* (*x*) in aurea ſua Harmonia, & alii Noſtratium, quæ hîc inſerere attinet nihil. Apertisſimi igitur mendacii convictus erit *Martinius*, (*y*) dum aſſerit, ex Patribus eſſe hanc ancipitem & dubiam collationis aleam, cùm ex propria confesſione Patres ipſus non legerit, nos autem ſole meridiano clariora adducere habuerimus verba. Et quanti tandem faciendum putatis, Auditores, quòd hæc apertæ veritatis lux clauſos quorundam τ͂ ἐκ ἐναντίυ oculos perculerit, ut in noſtram pedibus eant ſententiam? De Calvino ipſo id ſuperiùs patuit. Audite, quæſo, *VVolfgangum Muſculum*, (*z*) cujus verba noſtris συμφωνότατα lubet recitare: *Supra dixi*, inquit, *meô judiciô non ob id eſſe devolutum lapidem ab oſtio monumenti per miniſterium Angeli, ut apertô monumentô liceret Chriſto jam redivivo in lucem progredi & reſurgere, (abſit ut tantum infirmitatis demus Chriſto) ſed ut fieret fides mulieribus & Apoſtolis, Chriſtum reſurrexiſſe, apertum eſſe ſepulchrum, ut poſſit oſtendi vacuum, non ut devolutô demum ſaxô per Chriſti reſurrectionem vacueretur, cùm illo excitatô jam antè vacuum fuerit. Hæc ſententia veriſimilior videtur & gloriæ Chriſti competentior.* Quibus Muſculi verbis fideliter repetitis, Auguſtinus *Marloratus* (*α*) ſequentia adjicit: *qui ſuâ virtute corpus excitare potuit in ſepulchro, eâdem virtute potuit ſepulchrum egredi occluſô oſtiô grandi illo ſaxo, ut miraculô ſit excitatus & miraculô egreſſus, nullâ operâ Angeli.* Ad poſtremum haud obſcurè nobis patrocinatur *Daniel Chamier* (*β*), dum egreſſum è conditorio occluſo propter corporis Chriſti ſubtilitatem optimè fieri potuiſſe, defendit, utpote quod tunc in ſtatu gloriæ fuiſſet, exutâ mortalitate, depoſitô exinani-

D tionis

x) Tom. II. Append. c. 1. f. 245. *Menz.* l. c. *Brochm.* l. c. f. 367. *y*) ap. Menz. l. c. *z*) In comm. Matth. XXIIX. f. 677. *α*) Comment. in Matth. XXVII. 1. f. 209. *β*) Tom. II. Panſtr. L. VI. c. 2. n. 4. f. 101. col. 1.

tionis ſtatu. O diviniſſimum veritatis robur, quod vel inter ſibi inimicos tandem reperit Aſſertores! Eant nunc adverſantes nobis Calviniani, ad lucidiſſimum veritatis divinæ jubar cœcutiant, & egreſſum è clauſo ſepulchro glorioſum negandô, majeſtatis corpori Salvatoris communicatæ ſe hoſtes prodant: Nobis certa ſatis eſt tumuli illa penetratio mirificiſſima! Longiorem orationem meum poſtulat argumentum, veſtræ verò, Auditores honorandi, aures, temporisque ratio, breviorem: cujus utriusque ut habear obſervans, hic verborum deſinam, ſermonique meo finem imponam: ubi prius animos noſtros curaverimus excitatos, ut venerabile hoc tempus, quo feſtis undique gaudiis ſtrepunt templa, ſanctum ac ſolenne habeant, divina ejus miranda ſecum volvant ac revolvant, quantum Salvator mellitiſſimus nobis præſtiterit perpendant, quid inde in nos ſalutis ac utilitatis derivetur, ponderent, firmiterque conſiſtant perſuaſi, fore, ut tandem aliquando primogenitus ex mortuis, qui hâc huc redivivus ex clauſo migravit tumulo, corpora noſtra è terræ ſinu evocet, & glorioſiſſimo ſuo corpori σύμμορφα ſit redditurus. (γ) O tempus exoptatiſſimum, quod talia meditandi ſuggerit anſam! O horam beatiſſimam, quæ nobis tanta magna promittit bona! Ne tantillum ſanguinis Chriſtiani habeat eſt neceſſe, quem hæc abundantiſſimi lætitiâ gaudii non perfundant, & ad grates ardentiſſimas ſtimulos haud ſubdant efficaces. Piè perquàm *Gregorius* cenſuit, (δ) *eſſe indignum valdè, ut hodiernô die laudes debitas taceat linguâ carnis, quô reſurrexit caro Auctoris.* Agite igitur, Auditores, officii juxtim & ſalutis

γ] Col. I. 18. 1. Cor. XV. 20. Phil. III. 21. δ) Homilia XXI. in Evang. Tom. II. Op. Edit. Baſil. f. 404.

ſalutis noſtræ memores, piô claudamus celebrem hanc panegyrin carmine, Triumphatorem noſtrum ſic canentes:

Effractor ô fortiſſime,
Salvator ô mitiſſimè,
Qui ſurgis ob Juſtitiam,
Scriptura ut aſſerit, meam;

Tibi rependo gratias,
Laudesque dico maximas.
Tu noſtra, quæſo, crimina
Miſericors contumula;

Faucesque mortis contere:
Preces meas haud deſpice,
Cùm pars tui ſim corporis
Et palmes in te viridis.

Fac ut reſurgam ſplendidus,
Et Angelis circumdatus,
Ut usque temet videam,
Sanctumque ter Tibi canam.

Dixi!

—

B. C. D.

PAnchriſtianæa celebramus, RECTOR Academiæ Magnifice, cunctique, quotquot adeſtis, Auditores inſignibus honorum ac dignitatum titulis condecorandi, Panchriſtianæa, nquam, celebramus feſtivè non Panathenæa. Hæc enim Athenienſes, homines non-Chriſtiani, olim ingenti pompâ, famoſum illud Minervæ conſecrantes peplum, ſancta habuerunt in honorem cultumque olei inventricis Minervæ. Solebant nimirum quotannis, maximèque luſtrô decurſô, univerſalem quandam publicamque ſolennitatem, menſe Julio, inſtituere, in qua (taceo jam exercitationes poëticas) non tantùm pueri & puellæ ramuſculis ornati oleaceis choreas in lætitiæ ducebant ſignum, ſenesque vetuſti ad id delecti oleaginas geſtabant frondes, ſed etiam peradoleſcentuli Athletarum more congrediebantur, colluctabantur, viresque experiebantur; brabeum verò, quod victorem manebat, erat corona oleagina, & amphora octo & quatraginta ſextarios olei continens, quod quoniam ex olea quadam, quæ præ aliis ob conſecrationem ſancta putabatur, arte, quam ipſa Minerva eos docuerat, expreſſum erat, magni ab omnibus æſtimabatur (*a*). Sed Ethnicis Ethnica maneant. Quid de moderno

(a) vid. Rodolph. Hoſpin. de Feſt. Jud. & Ethn. Lib. II c. 17. f. 174. 199. Cœlius Rhodig. Lib. XI, c. XXVII. f. 601. & Lib. V. c. IV. f. 237.

derno noſtro dicam Feſto, Auditores? Num Panathenæa appellitem illud? relligio mihi eſt: Mutatâ tamen paululum voce, ob rem immenſùm ac planè permutatam, Panchriſtianæa vocari, nihil eſt quod vetet. Vix enim, ac ne vix quidem, Chriſticolæ nomen mereretur, qui hodie non abundantiori longè abundet gaudiô ac lætitiâ, quàm Gentiles illi; cùm ſanctiſſima Chriſtianorum Reſpubl. feſtivitate ſolenniſſimè celebret triduanâ non Deæ deaſtrivè cujusdam Gentilis, ſed ipſius veri Dei, tertiæ Divinitatis perſonæ, feſtum ſacroſanctum, idque non fortè nudô ſaltu & externâ ſaltatione, ſed gaudiô, ſed tripudio internô, ſed cordis ima penetralia afficiente exultatione, non ob fictam & ementitam quantam olei terreſtris inventionem, ſed ob divinum planè, ineffabile ac ſpirituale oleum donorum, quæ & cum quibus ſemetipſum, Spiritus Sanctus largiſſimè miſeris impertitur hominibus. Ut enim taceam, quomodo antiquati fœderis temporibus in Spiritus divini diſtributione & communicatione, Sacerdotibus imprimis, Regibus ac Prophetis facta, ſummo in Cœlis Numini non aliô externô Symbolò ac mediô uti placuerit, quàm olei pinguedine; nonne hâc ipsâ, quam per Dei gratiam videmus, die, hôc ipſô, quod lætô applauſu celebramus, pentecoſtali feſtô, præſtita auguſtiſſimo Apoſtolorũ collegio, aliisque poſtidea piis, Spiritûs ſacratiſſimi miſſio à Jeſaia & Joële Prophetis, (β) nec non Paulo & Johanne Apoſtolis, (γ) annunciata & hincinde deſcripta eſt ad inſtar effuſionis olei & unguenti fragrantiſſimi? Nonne donatio Spiritûs S. ipſius Meſſiæ humanitati facta eundem in modum à Pſalmiſta (δ) enunciatur? Maximè id verò. Sic enim ex-

β) Eſ. XXXII. 15. Joel. II. 28. γ) 2. Cor. I. 21. 1. Joh. II. 20. 27. δ) Pſ. XLV. 8.

preſsè: Unxit te Deus, ô Deus, oleo lætitiæ, hoc eſt, Spiritu S. præ conſortibus tuis. Et quoniam, Auditores æſtimatiſſimi, de rebus divinis, nedum ipſo Deo, verba facturis, quod tutò dicere fas ſit, ſuppedit nihil, præter id, quod ſacra Pagina pro captu noſtro patefecit, & in ſimulachris haud obſcuriſſimis nobis exhibuit vix magis aptam huic tempeſtati materiem dicendi me invenire poſſe, animo perſuaſi, quàm ſi SPIRITUM SANCTUM ejusque DONA OLEO ſubtiliſſimo, puriſſimo, ſupereminenti, dulciſſimo, quodque medendi, ſerenandi, illuminandi ac corroborandi vim habet, non abſimilem eſſe, brevi contentione oſtenderem. Quapropter vos, Patres Ampliſſimi, præſentesque omnes, oro atque obteſtor, ut attentè bonâque cum veniâ verba mea audiatis, & quales vos antea in Cathedra ſtantibus præbuiſtis, tales & mihi vos in præſenti exhibeatis.

Ut igitur hîc exortus ſit Orationis meæ, perpendite mecum, Auditores, proprietates quasdam inſignes, à benigna matre, Natura, oleo, præ aliis liquoribus, conceſſas, quas oleo noſtro Pentecoſtali, Spiritui S., aliquo modo, in quantum ſcilicet minima maximis, humana divinis licet componere, applicare ſatagemus. Primùm autem ſe nobis offert præclara olei ſubtilitas, ob quam non niſi in ſolidis vaſibus, non poroſis nimium ac raris aſſervari poteſt, ob quam corpora ſatis dura efficaciter penetrat, oſſibusque ſe immittere aptum eſt. Hanc, Auditores, operosè de Spiritu S. multis demonſtrare documentis quid attinet? Nomen ſi audis, inenarrabilem ſubtilitatem audis. Spiritus eſt, Spiritus Dei eſt, Spiritus Jehovæ, Spiritus non vulgaris & creatus, ſed increatus, ſanctus & ſanctificans: Spiritu autem quid ſubti-

ſubtilius quid magis penetrans? Cor ſolidum ſit mens conſtans, non rimarum plena, ſciſſa aut diviſa unamq; partem terrena anhelans, quæ huic ſpiritui ſit capiendo, qui infima cordium penetralia ſine ſtrepitu pervadit, mortales intimè afficit, donisque ſuis abundanter, licet, adeò tamen occultè, colluſtrat ac replet, ut nullus & nemo ſenſu iſtud percipiat aut ratione intelligat; ſed vel diviniſſimũ Eliſam(ε) in ſeptem hominum millibus efficaciſſimæ ejus operationes fugiant oppidò ac ignotæ maneant. Inſignem hanc ſubtilitatem excipit, mirabilis puritas, cujus oleum eſt amantiſſimum, dum nunquam, ſi ſibi relinquatur, nec adventitiâ hominis violentâque poteſtate quaſi cogatur, liquori cuidam impuro, fœculento & diſparis conditionis ſeſe miſcet, nedum adunat, ſed non niſi ſimili gaudet, ſibique gemino firmiùs adhæreſcit. Impiiſſimus, & quem terra, alat indigniſſimus forem, ſi tale quid Oleo cœleſti, id eſt, Spiritui S devotè non tribuerem. Et hem? tribuo jamjam, dum SANCTUM cognomino. Quid enim, quæſo, commertii eſſe poteſt ipſiſſimæ ſanctitati cum turpi malitia? Nimirum quale luci cum tenebris, Chriſto cum Belial, beatis cum damnatis. Egregiò certè præfiguratum id voluit typo divina Majeſtas, quando populo in peculium olim ſibi collecto, peculiari præcepit edicto, (ζ) ut lampada, quæ omni die omnique, nocte in Tabernaculo clarum fundebat lumen, non, alio niſi puriſſimo olivarum oleo inſtruerent, indicans nimirum, immaculatum omnimodè ſuum eſſe ſpiritum, illuſtriſſimam ejusdem eſſe gratiam ac munera, quibus ſe hominibus gratioſè inſinuat, iisque non omnibus quidem, ſed qvi viciſſim mundi corde ſunt, animum

(ε) 1. Reg. XVIII. 22. (ζ) Exod. XXVII. 20.

animum vitiis, peccaminoſis affectibus, terrarum voluptatibus vacuum poſſident. Hoc tale vaſculum qui ſibi non comparat, oleô iſto divino deſtituetur æternùm & juſtiſſimo jure audire cogitur, quod *Didymus Alexandrinus* Alexandro Macedoni dixiſſe perhibetur: *Deus paratus eſt tibi dare ſapientiam*,(oleum Spiritûs ſui S.) *ſed non habes, in quo eam excipias: nimium enim ſuperbus* (aliisq; peccatis pollutus) *es.* Locum porrò olei aliis liquoribus juncti ſi ſpectare penitiùs juvat, quàm elegans, quæſo, contentionem a nobis cœptam continuandi occaſio ſeſe aperit? Fac enim oleum pateræ inhærere fundo, & aquæ portionem eidem largiter ſuperfundi, ut planè obtegi debere autumes, tantũ tamen abeſt, ut illud huic ſubjectum permaneat, ut potiùs extempló ſeſe emergat, ſupremum locum occupans, primatum quaſi quærat inſimulque acquirat, promovente imprimis illum aſcenſum aëris elementó, quô mirum quantum abundare oleum, conſtans naturæ Curioſorum aſſertio eſt. Conſimilem profectò in modum cuncta omninò, quæ quisquam poſſidere poteſt, præ gratioſis Spiritûs altiſſimi muneribus quaſi ſordent, quanti aliàs ſoleant haberi ac æſtimari. Quid opum magnitudo, quâ vel orbis emi poſſet imperium, ſi cum donis mellifluis Spiritus S. conferas? Nihil. Quid ampliſſimi dignitatum honores, ſi ad efficaciſſimam Flaminis è Cœlo præſentiam comparare audeas? Nihil. Quid omnigena rerum, quæ Solis jubar aſpicit, omnium ſcientia, in comparationem cum præcellentiſſimis Dei Spiritûs auxiliis ſi veniat? Nihil. Nihil (verbô enim dicam) omnia quæ mundus magnifacit uſque, collata cum ſacratisſimi hoſpitis pentecoſtalis inenarrabilibus

*) ap. D. Botſac. Mor. Geſin. f. 1005. § 17.

bus donis O Alme Spiritus, O ſolator optimè, quid non efficis, ubi ſemel pectus pii cujusdam occupaſti? quid non ſpernit ille ac contemtui habet, dum Tui compos eſt? quò non elevatur & extollitur, dum tuâ ſcatet virtute? omnia quæ terrã olent mundiq; hujus perituri fundo affixa ſunt, à tergo relinquit, nil niſi ſupremũ in cœlis locum deſiderat, eò tendit eò cogitat; merè divina ſapit, merè cœleſtia meditatur, meditata votis exoptat, exoptata ſperat, ſperata jam dum poſſidere ſibi videtur. At verò in principio promiſſa in dicendo brevitas aurẽ mihi pervellit, admonens, ut ad cætera feſtinante paululũ ore pergam, quæ de olei dulcedine jucundaque ſuavitate dicere habeo. Quanta autem illa ſit, vel unico, ſufficienti tamen, eſſe poteſt documento, quod ipſi oraculorum cœleſtium Libri alicujus cibi incredibilem verbis expreſſuri ſuavitatem, mellis, ſimilæ & olei imprimis vocabulô uti voluerint (ϑ). Cui & illud non incongruè addi poteſt, quod multæ, & eæ Gentes maximè, quibus butyri uſus ignotus, certè infrequens, omnes ferè cibos cum oleo coquant, hôcque pactô ſuaviſſimè obdulcent. Quid animi vobis eſt, Auditores, ſi de ſuaviſſima dulcedine, & dulciſſima ſuavitate gratiæ Sanctificatoris noſtri ſummi vobiſcum cogitatis? Certior ſum certiſſimô, ſi tribus ſyllabis mentem aperire ſingulis placeret, ſuperſedere poſſem Orator indiſertus omni hâc orationis meæ parte. Unde enim mihi tanta facundiæ vis, tantumque Suadæ flumen, quô ſummæ dulcitudini declarandæ ſufficerem, quæ non forſan craſſioribus illis hominum

E ſenſi-

ϑ) Prov. XXI. 20. Ezech. XVI, 13 Joel, II. 19. &c.

ſenſibus externis contingit, ſed animæ noſtræ propria eſt, totumque hominem in tantum recreat, in quantum humani animi recreatio intelligi vix poteſt. Vera concedamus eſſe, quæ venuſta Poëtarum ingenia de Deorum delicatiſſimis epulis, nectare & ambroſia, prodiderunt, umbram tamen, nihilque præterea dixeris eadem eſſe, ſi è regione illius colloces dulcedinis, quâ cœleſtis Spiritûs chariſmaſi impletum cor fruitur ac perfruitur, divinum panis in Cœlo futuri habens præguſtum. Sed quò longiùs provehor, Auditores, eò plura ſeſe offerunt mihi dicenda. Quô ore enim commemorem, quô geſtu indicem, & ſatis quidem, præclariſſimas operationes atque effectus oleo terreſtri haud denegandos, ac Pentecoſtali noſtro quadantenus aſſignandos? Primas meritò tenet præſentiſſima medendi vis, quâ, ſæviſſimis corpori humano vulneribus, ſeu interiùs ſeu exteriùs inflictis infuſum, ægros mirificè ſolatur, faces dolorum extinguendô, vulnus, ne tumore ardeat, levandô, tandemque cicratrice obductâ omninò curandô. Idem profectò de Spiritu Sancto indicatum vult ſuaviſſimum illud cognomentum, quô παράκλητος, conſolator, in Scripturis identidem audit; & ille ipſe erat oleum illud, quô Samarita piiſſimus homini, in itinere Hierchuntino plagis ſauciato tantum non & confecto, vulnus lethale permulſiſſe, in hiſtoria Evangeliſtarum fertur. Peccata quippe noſtra ac malefacta, ad inſtar carnificum & truculentiſſimorum latronum, non manus, non femur, non corpus confodunt, ſed conſcientiam, ſed animam flagris altiſſimis lædunt, vulnerant,

diſcer-

diſcerpunt, ut absque medicato Spiritûs Sancti oleo eſſet, res deſperata jam foret, & nihil conſilii, multoque minùs auxilii, aliunde ſperandum. Hoc autem ubi debitô modô adhibetur vulneribus & applicatur, nullum ubique mortis relinquit periculum, ſaucium erigit, bono animo eſſe jubet, angores abigit, mæſtitiam pellit, & ut ad integram ſanitatem redeat, efficit. Atque hæc eſt illa ſanatio, quam benignum Numen omnibus ſpiritualiter vulneratis clementer pollicetur labiis Jeremiæ (ι): *Ecce ego obducam eis cicatricem, & ſanitatem dabo, & curabo eos: emundabo illos ab omni iniquitate ſua, in qua peccaverunt mihi.* Neque hoc tantùm, quod diximus, in ægrotis præſtare valet olei uſus, ſed aliam inſuper in aliis quoque virtutem atque efficaciam exerit, dum homines aſpectu jucundos ac hilares reddit, exquiſitæque pulchritudinis dignitatem in eorundem faciebus conciliat. Cujus rei veritatem teſtis omni exceptione major, Scriptura Dei, confirmat, in quibus præ aliis Hieropſaltes haud obſcurè teſtatur, (κ) quòd homo exhilaret faciem in oleo. Quid? quod Salvator noſter optimus, à quo omnis falſitatis ſuſpicio longiſſimè abeſt, lætam capitis unctionem in jejunio ipſo diſcipulis ſuis lectiſſimis commendans, (λ) hypocriticæ facierum obſcurationi longè præpoſuerit, nec non mulierculæ peccatrici, caput ejus oleô tingentis, in convivio patrocininum fideliter ſuſceperit. (μ) Moris enim erat antiquitùs, ut feſtis, aliisque diebus, quibus lætitiæ indulgendum erat, ædes non tantùm, teſte *Gellio*, (ν) conſpergerentur oleô, ſed & ipſi homines

 oleo

ι) cap. XXXIII 6. 8. κ) Pſal. CIV. 15. λ) Matth. VI. 17. μ) Luc. VII. 46.
ν) Lib. 17. c. 8.

oleo ſuaviter olente incederent imbuti, ut ſtimulo ſibi invicem ad lætandum ſubderent efficaces. Num tale quid de Domino, cujus feſtum peragunt hodie Chriſtiani, dici poſſe putatis, Auditores? Imò verò. Hic enim eſt oleum illud lætitiæ & exultationis, quô non tantùm Chriſtus præ conſortibus ſuis, ſed & nos uncti in ſacro codice (ξ) dicimur. Hoc non corporis decorat vultum, non alia, quæ oculis patent, membra reddit delicata, ſed nobiliorem hominis partem divinô planè nitore ornat & exornat, uti non modò ſibi ſimilibus perplaceat, ſed puriſſimos illos in cœlo ſpiritus ad ſe tractos, gaudiô haut mediocri cumulet, imò, quod maximum, ipſius ſummi Dei, Patris indulgentiſſimi, favorem in ſe derivet, qui ad habitandum apud eundem dehinc efficaciter impellitur, ut dicere non dedignetur: Voluptas mihi eſt, eſſe cum hominibus, quos Spiritûs mei oleo tam amabiliter conſpicio illinitos. O pretioſiſſimum oleum, quod tantam nobis miſeris impertitur pulchritudinem! O inæſtimabile oleum, quod tanto animæ noſtræ eſt ornamento! Receptui jam canerem, Auditores benevoli, niſi in campo adhuc me detineret illud de oleo, quod non tantùm ſupra terram fovet luminaria, ac flammæ in ellichnio nutrimento eſt, ſed etiam ſplendorem & perſpicuitatem in fundo aquæ præſtat urinatoribus, quibus mari immerſis, ſi oleum ore emittunt ac efflant, clariora facit ea, quæ profundi teguntur occultis, ut Scriptor ille, judice Mureto, (ο) eruditionis ac prudentiæ pleniſſimus, Plutarchus, (π) nec non D. Ambroſius (ρ) li-

ξ) Ps. XLV. 8. Joh. II. 20. ο) Vol. II. Orat. 15. π) Lib. II. Moral. p. 502.

(ρ) literarum monumentis conſignarunt. Quàm commodè hoc ad oleum noſtrum Pentecoſtale quadret, verbis effari potis erit nemo. Spiritus enim S. divinæ cognitionis, omnisque notitiæ ſalutaris, ſcintillulam cordi noſtro ingerit, lumen inde accendit, illudq; perpetuò nutrit, ut intellectus crasſisſimis antea ignorantiæ tenebris obſcuratus, quæ Spiritus Dei ſunt intelligere, omniaque tanquam ſpiritualis homo dijudicare (σ) diſcat, voluntas antea deteriora ſemper probans, bona ſolummodo appetere incipiat, aureâ virtutum Chriſtianarum trigâ, fide, ſpe & charitate, quæ omnes alias ambitu ſuô complectuntur, unicè delectetur, ut per ſapientiam maturi, per intellectum providi, per conſilium cauti, per fortitudinem animoſi, per ſcientiam diſcreti evadamus. In ſumma, divinitùs nobis affuſum hoc lucis internæ oleum ducit nos in omnem veritatem & docet omnia, (τ) errare enormiter non ſinit, in obſcurisſima hac mundi caligine licet adhuc agitare cogamur. Hoc precariò ſubinde Vir ſecundum cor Dei precabatur gemebundus (υ): doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam. Novisſimè veſtrâ, Auditores, nixus clementiâ, neque illud præteribo quòd in duellis quoque, priſcis præcipuè temporibus, olei inſignis fuerit uſus. Athletæ enim, Græcorum certatores, in arenam deſcenſuri & coronam indepturi, oleo ſingula corporis membra benè perungebant, (φ) tùm ut Spiritus animales confortarentur, nervi atque articuli agiles

ρ) Lib. I. Hexaëm. cap. 9. ſ. 13. σ] 1 Cor. II 14. ſeq. τ] Joh. XVI. 13. υ) Pſ. CXLIII. 11. φ) Plin. Hiſt. Nat. L. XV. c. 4.

probèque mobiles efficerentur, tùm ut caro manibus adverſarii attrectata facilè ſemet ſubduceret, & apprehenſioni difficulter relinqueretur locus. Convenientisſimè omninò & hoc ad Spiritum Sanctum applicaverimus, quem ipſa Scriptura Spiritum fortitudinis & piis robur ſuggerentem, nominat, ut ſint fortes in Domino & in potentia roboris illius (χ). Eſt enim vita Chriſtianorum perpetuum ac acerrimum certamen, in quo non tantum cum carne & ſanguine, quæ ipſi circumgeſtant, impiè graſſantibus in mundo hominibus, ſed cùm principibus, potentisſimis mundi Dominis, tenebrarum ſeculi hujus Rectoribus, ac ſpiritibus aſtutiæ, ſub cœlo circumvagantibus, congrediendum & gravisſimè pugnandum (ψ). Hinc in primitiva Eccleſia oleô quodam ſanctificato baptizandorum corpora, teſte *Dionyſio Areopagitâ*, (ω) perungebant, ut eos ſubeundi in toto vitæ curriculo certaminis commonefacerent. Oleum autẽ hujuscemodi nudum ex ſeipſo non ſuffecit illis ad victoriam obtinendam, ſed ſymbolum tantùm fuit accepti, ſalutaris aquæ mediô, roborantis ſpiritualiter olei, quô omnes hoſtium infenſisſimorum inſultus feliciter declinare, irritos reddere ac eludere potuerunt. Taliter confortati erant primi facis Evangelicæ Daduchi, qui virtute olei ſacro-ſancti, quô pentecoſtali hocce die repentè, mirum in modum ac plenisſimè perfundebantur, omnes Judæorũ ac Gentilium horrendas perſecutiones conſtanti ac hilari animo ſuſtinuerunt, mortes, hominũ judicio, infelicisſimas oppetere, paratisſimi fuerunt, &

χ) Ex. XI. 2. XL. 31. Eph. VI. 10. ψ) Eph. l. c. v. 12. ω) Hier. Eccleſ. cap. II. Edit. Balthas. Corderii Tom. I. f. 259.

& neque morte neque vitâ, neque Angelis neque principatibus, neque poteſtatibus, neque præſentibus neque futuris, neque altitudine, neque profunditate, neque ullâ creaturâ aliâ à dilectione Dei quæ in Chriſto JEſu eſt, ſaparari aut divelli potuerunt (a). Sed ne offendam Veſtras, Auditores, patientisſimas aures deſinam hîc, & orationi, quod tempus futuraque adhuc ſacra negotia monent, finem dabo; cùm utiliùs non tantùm, ſed & conveniențiùs eſſe arbitrer, Vos ipſos, aut alium quenquam diſertiorem, de eo plura loqui Vobiscum, quibus pietas dudum perſuaſit firmisſimè, noſtrarum eſſe, ut ſubinde ſacris meditamentis de oleo Pentecoſtali animum exerceamus, an corda noſtra eodem probè tincta ſint, inquirentes, &, ſi defectum aliquem deprehendimus, devotis benignum in Cœlis Patrem nocte interque diu ſolicitantes precibus, ut illud nobis largiatur divinitùs, cùm ſine eo nihil ſimus, nihil posſimus, ſine eo piis omnibus Deoque ipſo deteſtabiles, ſine eo inſigniter imbecilles, ut noſtri nos inimici vel primô ictu funditùs perdere posſint, ſine eo nullo intellectûs lumine gaudeamus, nullam voluntatis bonitatem posſideamus, ſine eo denique cor noſtrum innumeris delictis ſaucium, omni levamine deſtituatur & nil niſi mortem æternam expectare posſit. Licet enim Deus optimus, Maximus diebus hodiernis oleum iſtud pretioſisſimum non eodem, quo olim Propheti & Apoſtolis, modo nobis tribuat, ordine tamen à ſe conſtituto & in verbo clarè revelato, fideliter procedit, & quærentes illud, ſemper facit invenientes, in

(a) Rom. VIII. 38.

in verbi nimirum ſedula ac ardenti auſcultatione ac lectione, ut& Symbolorum Eccleſiæ Chriſtianæ conceſſorum devotâ fruitione. Sicuti enim Romæ olei emtioni ac venditioni certæ leges latæ, certumque forum velis & carbaſo undiquaque contectum, à Senatu aſſignatum erat (*b*): ita unicus olei illius ſpiritualis diſpenſator clementiſſimus ordinariè non niſi in cœtu ſincerè ac piè Chriſtum Meſſiam profitentium per verbi in cordibus operantis efficaciam, hominibus illud commodare vult. Inibi cum & nos impræſentiarum congregati ſimus, dubitare poſſumus nulli, quin certiſſimè illius participes reddendi ſimus, ſi ſuſpirium hoc devotionis, quô orationem inſimul claudimus, ſæpiuſculè in ore habebimus noſtro:

Cæleſtis, euge, Spiritus,
Molli fove nos chriſmate,
Credentiumque cordibus
Infunde largam gratiam.
Tuum riga cœtum pium
Liquore pingui jugiter,
Ne concidat quod languidum
Ut gaudeat quod anxium.

Dixi.

b) Cic. Or. VIII. in Verr. cap. 18. Myl. Hort. Phil. c. VII. p. 245.